

L I B E R

possit dicto Comuni præjudicare in dictis bonis quantum ad poenæ delinquentium , & quantitates earum in totum , vel in partem . Et actio maleficii puniendi sit , & reputetur non tantum personalis , sed etiam realis pro concursu imponente , & exigen- te quantitates poenæ . Salvo ubi mors rei , seu malefactoris inter- venerit ante sui excusationes , seu contestationem super ipso ma- leficio , vel excessu , quo casu Jura Comunia obseruentur .

Explicit liber tertius maleficiorum.



L R

L I B E R Q U A R T U S.



Fficialis ad officium damnorum datorum deputati in Terra Montis Sancti , ejusque territorio , & districtu ipso jure , & facto habeat , & habere intelligatur plenam jurisdictionem cognoscendi , puniendi , examinandi , & decidendi insuper , & de omnibus , & singulis damnis , quæ dari contingent personaliter , & cum bestiis à quacumque persona , vel bestia in re , vel possessione aliena juxta formam Statutorum pertinentium ad officium ejus , & præsenti quarto libro inferitorum . Habeat etiam jurisdictionem curam , & sollicitudinem faciendi reparari , & etiam aptari si opus fuerit de novo formari , & fieri , ac etiam manuteneri , & gubernari per homines Montis Sancti fontes , pontes , & vias per omnia , & singula opportuna . Dum tamen de bonis , & Comunis ultra C. solid. denar. pro qualibet reparatione , seu hædificatione absque speciali deliberatione concilii generalis expendere , vel expendi facere non possit . Et dum tamen ardua negocia hædificationis , vel reparacionis multas , & longas operas exigentia simili modo non aliter expendat , quam cum deliberatione dicti concilii , & in prædictis omnibus , & singulis , & dependentibus ab eisdem habeat autoritatem Potestatem præcipendi , & personaliter cogendi bandiri faciendi poenæ , & banna imponendi , mulctandi , & exigendi prout viderit expedire , dum tamen ex arbitrio suo poenam ultra xx. solid. pro qualibet , & qualibet vice imponere non possit , nec etiam exigere . Et in casibus expressis in Statuto poenam Statuti non excedat , & si excescerit , vel majorem poenam imposuerit , quam dictum est ipso jure sit nulla .

De salario Officialis damnorum datorum , & ejus solutione .

C A P. II.

SAlarium dicti officialis pro singulis sex mensibus sit , & esse debeat tantum de C. solid. denar. par solvendum de mense in mense per manus Camerarii Comunis non de aliis pecuniis , vel rebus , quam ipse de his , quas ipsem officialis pervenire fecerit in Comuni , habeat etiam per Comune unam competen-

V. 3

tem

tem domum ad habitandum , & unum bajulum , qui ei , & cuius officio servire debeat salario Comunis ipsi bajulo per Camerarium persolvendo . Ipseque officialis omnibus suis sumptibus , & expensis ejusque periculo , & fortuna teneatur in Terra Montis Sancti , & ejus districtu semper morari personaliter ad ejus officium exercendum , & inde se non absentare sine speciali licentia Confalonerii , & Priorum nostri Comunis , & licentia hujusmodi danda non possit excedere quinque dies si excesserit non valeat , & secum ducere , & semper tenere unum ronzonum , & equitare , seu accedere de die , & de nocte quoties opus fuerit ad petitionem , vel quarelam cuiuscumque potentis , vel conquerentis damnum in possessione , vel in re sua datum fore . Et nihilominus ex suo officio accedere saltim semel in die ad rimandum contra damnum dantis . Officialis contrafaciens puniatur de suo salario in xx. solid. denar. pro qualibet die ; officialis contrafaciens in non retinendo dictum ronzonum , vel se absentando sine licentia supradicta pro qualibet vice in libr. xxv. denar. de suo salario puniatur de facto applican. nostro Comuni . Dictum vero bajulum extra territorium Montis Sancti aliqua causa mittere non possit contrafaciens in libr. x. denar. vice qualibet puniatur de suo salario nostro Comuni applicandis .

C A P. III.

IN aliquo loco tuto , & idoneo per Confalonerium , & Prioris deputetur unus cippus , aut cassetta cujus claves teneantur seorsim à duobus Massariis de Terra ab ipsis Confalonero , & Prioribus eligendis , in qua cassetta , seu cippo mittantur omnes , & singulæ pœnæ condemnationes damnorum datorum pro Comuni in præsentia officialis , & ejus qui solvit , necnon unus testis bonæ famæ , cujus nomen conscribatur in ipso introitu , & de ipsis introitibus fiat unus liber per ipsum officiale , ubi per ordinem describatur , & scripti in fine cujuslibet mensis legantur per ipsum officiale cum vera summa ipsarum in Concilio generali antequam ipsa cassetta , vel cippus aperiatur . Et postquam aperta , seu aperitus fuerit pecunia ibi reperta perveniat ad manus Camerarii , & diligenter scribatur ad ejus intrbitum , & de ipsa pecunia teneatur Camerarius solvere officiali prædicto partem sui salarii dicti præsentis mensis reliquum convertat in utilitatem Comunis .

Qua-

Qualiter procedatur in damnis datis.

C A P. IV.

POSSIT , & debeat dictus officialis in , & super damnis datis procedere , cognoscere , & pervenire per inquisitionem , denunciationem , accusationem , & simplicem quarelam , & etiam sine aliquo promotore ex mero officio , necnon ad relationem custodis privati : pœnas , & banna imponere , & exigere per sententiam , & in Comune nostrum facere pervenire summarie de plano sine Judicii strepitu , & figura ; dum tamen legitime defensiones , & vere non prohibite , vel non reiiciende per formam alicujus Statuti , seu ordinamenti nostri Comunis saltim summarie audiantur , & admittantur . Et dummodo de damno constet aliquo infrascriptorum modorum insertorum infra in ordinamento sub Rubrica de probationibus damnorum &c. Et quicquid inde aliquo dictorum modorum actum fuerit , sive factum per dictum officiale valeat , & teneat plene , non obstante jure contrario , & una via procedendi electa ad aliam , nihilominus possit redire . Excipimus tamen à dicta clausula , & arbitrio procedendi ex mero officio per inquisitionem , vel inventionem sine promotore , & etiam procedendi ad relationem custodis privati casus infrascriptos videlicet . Quoties damnum aliquod fuerit datum per aliquam bestiam bovinam , cavallinam , & asininam , mulinam , vel pecudinam , aut porcinam , aut eorum generum in terra sodali disculta , aut stoppiaria , vel magesata , aut campestra non seminata , aut etiam in terra prativa postquam eo anno sœnum fuerit inde secatum , & ablatum usque Kalendas Martii , vel in terra buscosa , vel silvata , aut in aliqua rota . Item de solo transitu personaliter pedes , aut eques per possessionem alterius non ortalem , vineam , vel cannetalem , vel non seminatam aliquo genere bladi , vel leguminis videlicet si transitus , & ingressus terræ seminatae factus fuerit ante Kalendas Maii . Item de lignis , aut herbis silvestribus , quæ portarentur per operarios , sive laboratores usque per unum fascium , vel covium ligatum portabilem in collo virili die , & loco , quo laboraverit in quibus exceptuatis casibus tantum per accusationem , denunciationem , promotionem , vel quarelam procedi

cedi volumus, & non aliter. Addicimus huic ordinamento, quod in damnis datis dandis unica sola citatio sufficiat ad excusandum, adeoquod si semel citatus per publicum bajulum dicti officialis, & suæ curiæ contra quem procederetur occasione alicujus damni non comparuerit legitime, & idonee in termino citationis præfixo, & tunc elapso die termini habeatur, & reputetur contumax ipso jure, & possit, & debeat puniri per omnia tanquam vere confessus, & convictus, & pro confesso, & convicto habeatur, & ejus condemnatio, seu poena impositio valeat, & sit firma cum omnibus inde sequutis, & sequuturis jure contrario non obstante. Dum tamen die saltim præcedenti pro die sequenti citationem extiterit personaliter, vel ad domum habitationis citati. Quam domi citationem aliquis vicinus, vel alias testis præsenserit cuius nomen sit in relatione redactum. Et talis relatio volumus, quod sufficiat pleno jure, & ei plena fides adhibeatur.

De accusationibus damnorum datorum.

C A P. V.

Accusare possit, & admittatur etiam filius familias non contradicente patre, & etiam muliere, necnon, & minor qui sit ætatis saltim x. annorum, & tam colonus etiam partiarius, quam dominus possessionis, dum tamen ex occasione coloni etiam dominus percipiat partem emendationis damni, & in concursu etiam dominus admittatur potiusquam colonus salva coloni parte sua refectionis damni. Colonus vero, sive laborator dominum possessorem, sive patronum possessionis accusare non possit, nisi de gravi damno, & enormi, ex quo læsus, seu damnificatus extiterit colonus pro parte sua ad minus in C. solid. denar. possit tantum de dāmno illato civiliter agere, seu emendationem consequi à patrono, & etiam admittatur accusans de dāmno illato in re Comuni quilibet consors, seu partem habens in ipsa re damnificata non obstante conditione alterius partem, vel jus habentis, & semper is potior habeatur, & admittatur ad accusandum, qui primo pervenerit conquerendo, vel denunciando de dāmno, dum tamen de nullo dāmno quantum ad poenam amplius, quam semper queratur, salva semper cuilibet consorti, seu in partem damnificato

QUARTUS.

²³⁷ ficate parte emendationis dāmni pro rata, & eidem juris fiat, & observetur in cœteris dāmnum passis, & quorum interest admittantur nihilominus ad accusandum omnes alii, & singuli non prohibiti de jure Comuni. Accusari autem possit, & de dāmno inquire, & puniri quilibet major octo annis. Item filius, & filia sine consensu patris, & conditione patris, non obstante, & aliis quilibet de dāmno culpabilis, per se, vel ejus animal, qui de jure comuni accusare non prohibit. Propterea ad repulsam frivolarum exceptionum, quæ plerumque obvenerunt in causis valeat, & recipiatur, etiam accusatio generalis, & inepta, & in se continens simul, & semel facta, & conclusiones, seu diversas actiones, vel continens easdem personas pro reis, ac etiam pro testibus contra alios, & alia quæcumque accusatio, denunciatio, & quærela, non obstante aliqua deformitate, vel repugnantia conceptionis ipsius formæ, dum tamen aliquis intellectus concludens, & dāmni qualitatem demonstrans ibi appareat resultare. Teneatur quoque dictus officialis propria sua manu in actis suis ad petitionem petentis in scriptis redigere quamlibet accusationem, denunciationem, seu simplicem quælam dicentis dāmnum terræ, vel possessionis propriæ, vel conductæ datum fore. Et super dicta scriptura, tanquam super vera accusatione possit, & debeat procedi, & exigi, ac emendatio dāmni tanquam super accusatione legitime formata. Officialis contrafaciens, & recusans prædicta scribere, vel etiam admittere putinatur vice qualibet, & pro quolibet in C. solid. denar. in nostro Comuni applicandorum. Admittatur etiam, & reputetur legitimus ad accusandum de dāmno dato, seu etiam ad denunciandum familiaris, sive famulus alicujus, qui comparens coram officiali juraverit se habere in mandatis à domino, qui accuset, vel denunciet, & super tali accusa, vel denuncia, aut etiam quærela procedatur, & procedi possit, & valeat pleno jure, nisi dominus expresse contradixit ante accusationem factam super processu. Dum tamen emendatio dāmni semper concipiatur, & fiat in persona dāmni. Item ad accusam dāmni dati, etiam reputetur idoneus ad accusandum, seu ad denunciandum is, qui tempore dāmni facti, seu illati tenuerit, & possederit rem damnificatam, ut domino non obstante, quod aliis in re ipsa jus aliquod habeat. Talis tamen accusatio, seu damnificatio cum inde sequutis nullum præjudicium parere possit alteri jus habenti, quo ad alia.

De probationibus damnorum, & privatis custodibus.

C A P. VI.

NE probationum angustia damnorum sequatur impunitas, quæ secreto frequentius insequuntur ampliantes probationum materiam providemus, quod infrascriptæ probationes, & altera ipsarum in suis casibus locum habeant, & sufficiente pleno jure, primo quidem inventio damni facta per officialem, qui in actis curiæ scripsiterit se aliquam personam, vel bestiam invenisse damnum dare tali die, vel de nocte in tali loco habere decernimus probationis plenam efficaciam, & effectum, absque inventionis, vel damni probatione. Item pro plena probatione haberi volumus, & admitti relatio bajuli dicti officialis, qui ex commissione dicti officialis ad petitionem ipsius conquerentis ad locum damni acceperit, & ibi vidisse, seu invenisse retulerit personam, vel bestiam damnum dantem hujusmodi querimonia commissa relatione redacta in actis. Item relatio custodis privati ad hæc deputati, & jurati juxta formam inferius traditam à suo sacramento etiam de novo præstante retulerit se vidisse damnum aliquod dari, vel fieri in vinea, vel canneto, orto, arbore fructifero, vel pomis ad hominis usu conseruis habeat istar, & effectum pleno probationis, & valeat usque in quantitatem pœnæ x. solid. denar. & in ipsa quantitate x. solid. denar. pro quolibet damno, & qualibet die, ex simplici relatione prædicta possit imponi pœna, & idem in blado, lino, & ligumine observetur à Kalendis Martii imposterum. In majori vero quantitate pœna imponi non possit ex tali relatione, & sacramento de damno dato in aliqua prædictarum rerum, nisi cum dicto unius testis idonei per quod una cum relatione prædicta possit plena, & perfecta impositio pœnæ sequi juxta facti qualitatem, & formam ordinamenti de ipso damno loquentis. De aliis autem damnis id est in damnis datis nulla pœna ex tali relatione custodis imponi, vel sequi possit. Volumus tamen quod liceat possit probari contrarium ejus quod retulerit custos in totum, vel in partem saltim per duos testes, quo casu teneatur ipse custos ad pœnam, & ad emendationem, & non persona, vel bestia denunciata per eum. Item sacramentum cuiuslibet domini, vel possessoris, vel etiam coloni, vel laborato-

ris.

QUARTUS.

239

sis rei damnificatæ conquerentis, vel jurantis per se, vel per aliquem suum familiarem, aut nuncium vidisse, vel invenisse bonæ conditionis vitæ, & famæ jure, vel possessione sua damnum aliquod dare personaliter, vel cum bestia ipse quidem querela cum juramento redacta in actis simili modo habeatur, & reputetur plena probatio usque ad quantitatem pœnæ xx. denar. dummodo venio eodem mense eundem hominem de eodem, seu simili modo damno amplius, quam semel hoc modo per sacramentum, sive inventionis audiatus accusans possit tamen ut supra probari contrarium. Dictum quoque unius testis bona famæ idonee testificantis de visu alicujus damni, usque in quantitatem pœnæ xxv. libr. denar. pro quolibet damno valeat, & sufficiat tanquam plena probatio cum juramento, ut supra, dum tamen in quantitate pœnæ majori x. libr. denar. testis non sit majoris ætatis xiv. annorum. Item mulier præterea familiaris, & domesticus usque in quantitatem pœnæ xx. solid. denar. inclusive pro quolibet damno, & quolibet delinquentे. Quoniam vero inter alias probationum species non minus noscitur esse confessio, qui consueverit etiam indulgentiam permereri, accirco sponte confitenti damnum in sua persona excusatione adeoque, ex ea sola confessione pœnæ impositio sequi possit quarta pars pœnæ, sive condemnationis remittitur eidem. Ultimo non minorem obtinere volumus probationis effectum. Imo potius contumelia semel citati ad se excusandum de damno secundum formam ordinamenti positi sub Rubrica qualiter procedatur in damnis &c. Prohibemus tamen ne contumax confessionis beneficium consequatur quamvis dictum sit pro confessio haberi.

De privatis custodibus habendis, seu eligendis, & relationibus, & pœnis ipsorum.

C A P. VII.

STATUIMUS quod in Terra Montis Sancti habeant, & sint xl. custodes privati ad damna referendum officiali videlicet x. boni homines graves, & fideles pro quolibet quartiero, quorum quilibet sit ætatis ad minus xxx. annorum, & possideat in Monte Sancto, vel ejus districtu bonum immobile apretiatum in catastro Comunis ad minus xxv. libr. denar. Qui eligantur per Confalonerium, & Prioris

res

res una cum nostro officiali prædicto modo, & loco secretus. Qui officialis in principio sui regiminis statim requirat ipsos Confaloneum, & Priors super prædictis, & nomina dictorum custodum, qui nominati fuerint per eosdem diligenter conscribant eosque singulariter, & seorsim in nocte faciat evocari, & sigillatim eorum conscribat, & recipiat corporalia juramenta stipulationesque de attendendo de referendo ad danda, & ipsa pœnitut referendo infra quintam diem ex quo noverint, seu viderint, & de comparendo qualibet die Dominica coram officiali ad referendum si, vel non damnum dari viderint, & de solvendo pro pœna usque in v. solid. denar. quoties in aliquo prædictorum contrafecerint. Eorum personam, aut custodem simul cogat officialis realiter, vel personaliter ad aliquod dicendum, vel faciendum postquam comparuerit, ut dictum est dis scire, seu vidisse damnum dari, vel fieri, aut non, ita quod facta relatione per sacramentum solum Deum habeat in ultorem salvo quod referendo denunciasse in contrarium probatur, ut in præcedenti ordinamento. De prædictis autem omnibus officialis faciat speciale librum seriatim, & distincte continentem dictas electiones, stipulationes, & juramenta, ac etiam relationes singulas supradictas, quorum custodum officium duret continuo per sex menses, quibus transactis aliis similes habeantur.

De emendatione damnorum.

C A P. VIII.

Officialis damnorum prædictus teneatur possit, & debeat in singulis casibus semper dum exigit pœnam Comunis pro damno dato similiter exigere emendationem damni solvendam parti damnificatae, vel alteri pro ea ab eadem persona, à qua ipsa pœna communis persolvitur, & una cum ipsa pœna, ita quod similiter, & semel exequitio sit, nec exequitio retardetur in emendatione damni etiam pœna communis foret exacta. Quantitas vero pro emendatione solvenda in singulis manualibus damnis, seu personalibus illatis in orto, vinea, canneto, lino, blado, ligumine, pomis, & arboribus fructiferis, & etiam in damnis per bestiam illatis præsente custode, sive domino bestiae damnum dantis in supradictis locis, vel aliquo eorum sit, & esse intelligatur tanta, quanta esset dimidia

dia pars integræ quantitatis soluta, seu solvenda ex ipso damno pro pœna Comunis non attento confessionis beneficio. In aliis autem damnis diversis fiat emendatio in tanta quantitate, quanta esset quarta pars totius integri banni solvendi in Comune de damno illato. Salvo cum damnum diceretur per conquirentem gravius, & enormius esse quam dictum sit, quo casu fiat insuper supplementum emendationis in tantum ultra quantum extimaverit duo legales vicini ad hoc specialiter destinati in quolibet casum prædictorum. Damnum vero cuius author, seu factor non appareret officiali tam manuali, quam cum bestia datum, emendetur per sex, vel pauciores circumstantes personas de jurisdictione nostri Comunis, quæ personaliter, vel quorum bestia loco, & tempore facti damni proximiores extiterit de die, sive de nocte juxta damni conditionem, & qualitatem, & officialis descriptionem. Et quod hujusmodi persona, vel bestia sit præsentialiter proximiores extiterint dictis loco, & tempore stetur, & credatur dicto unius testis ætatis, & conditionis, quæ sufficit ad probationem damni ex forma præcedentium ordinamentorum, & talis emendatio fiat in quantitatibus supradictis infra x. dies à die dati banni, vel expositæ quærelæ pœna officialis negligentis de suo salario x. libr. denar.

De licentia domini, vel possessoris qualiter excusat, vel non.

C A P. IX.

Licentia data, vel danda, per dominum, vel possessorem loci, vel per colonum, copumarium, vel tutorem, seu tutricem, aut etiam per Praelatum, Rectorem, vel Cappellanum alicujus Ecclesiæ, vel loci, seu etiam aut Curatorum bonorum ve scriptis, sive sine scriptis in præsentia tamen duorum testium, vel unius idonei ad minus quandocumque ante ipsum damnum illum valeat, & sufficiat ad excusandum, & impunitate pleno jure. Item præsentia domini, vel possessoris, seu etiam coloni, vel alterius prædictorum, qui loco, & tempore dati damni præfens extiterit simili modo ad impunitatem sufficiat sine alia licentia, & de tali præsentia stetur sacramento ipsius domini, seu possessoris, & simili Procuratoris licentia de hoc non habentis speciale mandatum, aut confortis, seu partem habentis in re Comuni pro indivi-

so licentia non excuset, nec relevet ullo modo sine voluntate domini, vel consortis. Aliorum autem licentias veluti famulorum, laboratorum in re domini, aut factoris, aut filii familias in re patris viventis, & similius personaliter patrocinari, seu relevare ullo modo non volumus. Præterea de damno illato in vinea non vendembiata dum sunt uvæ videlicet cùm bestiis, aut in orto, & de incisione arborum, & apertura domus, vel cassinarum, aut etiam de damno collectionis olivarum, seu acceptioonis lignorum de catasta, vel fœni, & paleæ de paleario, vel ruptura, & exclusione alicuius loci clausi, seu acceptioonis cannarum de canneto, vel de vinea, vel vendembiationis uvarum alterius. Item acceptioonis ferramentorum, aut setelliorum de metitura, & exportatione cujuscumque generis bladi collectionis, & exportatione pomorum in quantitate unius quartucii, vel ab inde supra meritura viacorum ultra unam branccatam. Rempletionis fossati, vel fractura pontis licentia generaliter, & non expresse datam patrocinari, vel non prodesse ad excusationem non volumus ullo modo, vel specialis, & expressa licentia in quolibet horum casuum potius requiratur. Item volumus quod officialis, ex officii debito teneatur scribere licentias prædictas, quæ in sua præsentia concederentur, & eas per ordinem denotare in aliquo suo libro ad petitionem concedentis, vel recipientis ita quod bene appareat pœna x. solid. de suo salario pro qualibet vice. Quartu tempore durat licentia Bar. in tribus libris codicis car. 56. q.

Pater pro filio, dominus pro famulo qualiter teneantur.

C A P. X.

Pater familias pro filio familias ad solvendum tam pœnas, quam damni emendationem usque ad legitimas filii familias, & ultra quam ad patrem pervenerit, ex ipso damno modis omnibus teneatur dominus, seu patronus pro famulo, sive serviente de domino teneatur ad remondationem, & pœnam siquidem ipse mandaverit damnum fieri, vel ei præsens fuerit loco, & tempore domini, vel etiam ratum habuerit, & post facto, aut lucrum inde perceperit aliquin non nisi pro quantitate salarii nostri dum vere, & non esse soluti teneatur expensæ videlicet ipsius famuli, sive servientis.

De

QUARTUS:

243

De abolitione, &c.

C A P. XI.

SIcuti diversa sunt damna ita diversis opportet censuris tractari plus venie promeretur aliud plurimum severitatis requiret. Ic- circo disponimus, quod de damno personaliter, sive manuali dato, vel dando in orto, vinea, canneto, blado, legumine, prato fœnario, seu herba custodita videlicet in duobus proximis casibus à Kalendis Martii, usque post fœnum secatum, & sublatum, aut etiam in canapa, miglio, panico, lino, vinearia in arbore dome- stica fructifera, vel in pomis olivarum antequam collecta extiterint ab eo, cui pertinerent, seu de ligno acto ad hædificium, aut etiam in aliis pomis aptis ad usum hominis. Item damno illato per aliquam bestiam in blado, legumine, vel lino à Kalendis Martii imposterum, vel in vinea, canneto, aut orto quocumque tempo- re, seu etiam in pomis olivarum, antequam eo anno, ut dictum est collecta extiterint quocumque modo processum esset, vel proce- deretur nulla cessatio, vel oblatio fieri possit, & facta non valeat ullo modo. In aliis autem damnis divisis casibus infra quinque dies post citati, vel excusationem ad petitionem ejus pro quo, vel ad ejus quærelam quocumque modo processus esset, vel procederetur possit, & debeat reculatio, seu ablatio fieri, & admitti, dum tam- men persona cuius favore, & utilitate fieret solvat in comune ante ipsam abolitionem, vel in ipsa cum effectu solverit numeratio- nis duo solid. denar. pro quolibet damno, sive processu.

De prescriptione processus damnorum.

C A P. XII.

Volumus quod de damnis personaliter, vel cum bestiis datis, vel dandis ultra, seu post menses duos à die illa facti damnis minime procedatur, & si quomodocumque procederetur, vel fo- ret processu, irritus sit processus, & non valeat ipso jure. Insuper addicimus quod officialis teneatur, & debeat quemlibet processum damnorum incepsum, seu incipiendum expedire, & finire infra

X 2

unum mensem à die iniciati processus computari. contrafaciens officialis in xl. solid. denar. vice qualibet puniatur nostro Comuni applican.

An condemnatio lata post dictum tempus valeat Albericus in opera Statutorum in prima parte questio-

ne 60. & quod si stetit per Judicem, quem br

De damno dato personaliter in orto.

C A P. XIII.

DANS, vel faciens damnum in orto, vel giardino alicuius infra Terram Montis Sancti rumpendo clusimem ipsius in aliqua parte, vel intrando aliunde sine licentia domini, & inde coligendo, & portando agrumen, olus, poma, vel herbaria in x. lib. denar. vice qualibet, & qualibet puniatur, & excludens, & non colligens, nec exportans in C. solid. denar. puniatur pro qualibet, & vice qualibet. Fodens vero, seu carpens aliquam plantam arboream, vel incidens aliquam vitem, vel arborem in xxv. libr. den. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. In orto vero aliquo, vel castelico extra Terram posito in districtu Montis Sancti dans, vel faciens damnum personaliter intrando, vel coligendo poma, herbas, vel olera, vel aliquod genus agruminis nitus, quæ etiam rapa, radix, & pastonaca intelligatur in C. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. sed si intraverit tamen, vel transitum inde fecerit nihil colligendo, vel exportando in L. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. Incidens vero, vel carpens aliquam plantam arboream, vitam, vel ramum arboris fructifere in x. libr. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. Incidens vero arborem non fructiferum in tribus libr. denar. pro qualibet, & qualibet vice puniatur. Colligens autem, & exportans olera, herbas, vel agrumina de campo, vel vinea aliena, vel in alio loco non ortali in L. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. Quas condemnationes, vel aliquam ipsarum non solvens infra tres dies à die præcepti de solvendo facti, vel officialis dummodo præceptum fuerit post tempus, quo licuit appellare ligetur, & ponatur per guttulas ad eatenam Comunis in platea, quamdiu videbitur officiali damnorum datorum, & nihilominus reclaudantur in carcere, donec dictam peccatum solverit cum effectu.

Quod

Quod qualibet de Monte Sancto faciat ortum.

C A P. XIV.

QUilibet possidens Terram in districtu Montis Sancti habens familiam, vel cohabitatione quatuor personarum, vel infra teneantur, & debeat poena C. solid. denar. facere, & habere unum statuum orti bene fulsitum oleribus opportunis, & habens majorem familiam teneatur, & debeat sub dicta poena facere, & habere duo statia orti ad minus bene culta, & deribus fulcita. Quo circa officialis damnorum possit, & debeat statim in principio sui regimini facere publice bandire, quod omnes, & singuli dicto modo habeant ortum infra certum terminum suo arbitrio statuendum sub pena prædicta, quo termino elapsus diligenter inquirat de prædictis contra inobedientes, & ortum non facientes examinando vicinos eundo personaliter, & alia faciendo, prout expedire viderit, ita quod sciat poenitus veritatem, & inobedientes ipso facto puniat poena prædicta, & nihilominus ortum fieri faciat cum effectu. Officialis prædicta negligens, & non faciens exequutioni mandari puniatur in libr. xv. denar. nostro Comuni applican.

De damno personaliter dato in vinea bladi, legumine, vel cannato.

C A P. XV.

VITEM aliquam incidentis in aliena vinea absque licentia domini pro qualibet, & qualibet vice in C. solid. denar. puniatur, usque in tres vites inclusive ab inde supra spectans ad officium Pontestatis, & suæ curiæ. Colligens uvas in vinea aliena sine licentia possessoris pro qualibet raceno, five raspo in quinque solid. denar. puniatur contrafaciens, ut dictum est pro qualibet raspo v. solid. denar. Accipiens, vel exportans de aliena vinea palos quoscumque, aut etiam vites, five sarmenta in xl. solid. denar. pro qualibet, & qualibet vice puniatur. Secans herbas in vinea aliena in v. solid. denar. puniatur, metens aliquod genus bladi usque in unum covum, & ab inde infra in xx. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet punia-

X 3

puniatur buffalum grani , seu bladi alieni faciens solid. x. pro quolibet , & vice qualibet persolvat . Accipiens autem , & metens aliquod genus bladi alieni , & non cum licentia domini ab uno covo supra in x. libr. denar. pro quolibet , & vice qualibet puniatur . Metens herbas in blado alieno pro quolibet , & vice qualibet puniatur in x. sol. den. Et hæc omnia , quæ dicta sunt de blado , vel in blado locum habeat in quolibet genere leguminis , vel frumentum metens , accipiens , vel exportans juxta prædictam similitudinem puniatur . Prohibentes expresse quod laboratores , operarii , messores , spicarole , aut alia quæcumque extranea persona præter personam domini , seu possessoris , & ejus familiarium non audeat ullo modo colligere aliquas spicas , vel quantitatem aliquam frumenti , sive bladi existentes in aliquo campo , vel possessione alicujus , nec ipsas exportare , usquequo universa seges , & quantitas bladi existentes in ipso campo , & de ipso non fuerit in unum composita , & congregata in meta , sive muchia etiam cum licentia domini , vel possessoris , contrafaciens puniatur pro quolibet , & qualibet vice in xx. solid. denar. Et super hoc teneatur , & debeat officialis damnorum datorum facere specialem inquisitionem eundo per loca opportuna ad inveniendum , & faciendo bandiri pœna officialis contrafacentis x. libr. denar. de suo salario nostro Comuni applicandarum . Cannetum alienum damnificans personaliter cavando ucinos , vel cannas incidendo pro quolibet , & qualibet vice puniatur in xl. solid. denar. Faciens vero frondes canneti , & exportans in x. solid. denar. vice qualibet puniatur . Accipiens cannas de catasta , vel aliunde ubi fuerit congregata in cista in C. solid. denar. pro quolibet , & vice qualibet puniatur . Metens alias herbas in cannetum , vel cannetum alienum aliter damnificans in v. solid. denar. vice qualibet puniatur ; faciens transitum , vel ingressum per alterius vineam , vel cannetum nihil exportans in v. solid. denar. puniatur . Per aliquam vero possessionem alterius , & personaliter transiens , seu ipsam ingrediens nihil colligendo , vel exportando in duobus sol. denar. pro quilibet , & vice qualibet puniatur . Excepta causa venationis , & aucupationis , ex qua possit libere fieri personaliter ingressus , sive transitus per possessionem alterius , nisi per bladum à Kalendis Maii imposterum , sed per totum etiam ex causa prædicta nullo modo transitus fiat sub pœna prædicta . Hic postremo addicimus , ut si que persona alienum bladum , legumin.

vel

vel semen , & simile jam triurandum , & battutum , sive friscatum , seu à paleis excussum , de alesius atra , vel ideo non cum voluntate domini accepit , vel exportavit quantumcumque usque per unum quartucium parvum ad mensuram antiquam nostræ Communis qualibet vice puniatur à C. solid. usque in x. libr. denar arbitrio , & discretione officialis , & ultra in quantum videretur Confalonero , & Prioribus nostri populi ; pro quantitate vero majori dicto quartucio puniatur per curiam nostri Pœtestaris , vel Judicis veluti pro vero furni maleficio majoribus , & acrioribus pœnis juxta personarum , & facti qualitate .

De incisione olivarum , & arborum fructiferarum .

C A P. XV.

I Ncidens arborem olive à pede videlicet à ramis infra in xxx. libr. denar pro quilibet , & qualibet vice puniatur , ramum vero incidentis dictæ arboris , vel rumpens in libr. x. denar. puniatur vice qualibet , & pro quilibet . Frascam dictæ arboris incidentis , vel rumpens in xl solid. denar. puniatur pro quilibet , et vice qualibet . Arborem piri , mali , ficus , nucis , amandole , ammoniaci , cerasi , persici , anespoli , sciorvi , guifini , melicothoni , meligranatii , pruni , quercus , grandiforem existentes alibi quam in silva , et similiūm fructiferarum arborum incidentes à pede videlicet à ramis infra x. libr. denar. pro quilibet , et vice qualibet puniatur . Ramum vero incidentis , vel rumpens in tribus libris denar. pro quilibet , et vice qualibet puniatur . Frascam vero dictarum arborum incidentis , vel rumpens in xx. solid. denar. pro quilibet , et vice qualibet puniatur .

De incisione arborum fibrostrium , & non fructiferarum .

C A P. XVII.

A Rborem ab hardeficio valoris v. solid. denar. vel ultra existentem alibi , quam in silva incidentis in C. solid. denar. pro quilibet , et vice qualibet puniatur , minoris vero valoris arborum .

borem non fructiferam, vel ligna incidens alibi quam in fracta-
lin in xxii solid. denar. pro qualibet, et vice qualibet puniatur.
Aliujus vero fractalis alicui signum non ab hædificio incidens,
vel rumpens in solid. xl. denar. pro qualibet, et vice qualibet
puniatur. Arborum ab hædificio in silva existentem videlicet aptum
pro tribus, vel cordesca in tribus libr. denar. vice qualibet puniatur.
Alia vero ligna minuta in silva existentia in xx. solid.
denar. pro qualibet, et vice qualibet puniatur. Ramum vero
quercus non pomifera, vel ulmi incidens, vel rumpens ulmi, vel
quercus prædictæ in x. solid. denar. pro qualibet, et vice qua-
libet puniatur. Arborum salcis vincariæ à pede incidens, vel rum-
pens, aut etiam saltim in tribus libr. denar. pro qualibet, et vi-
ce qualibet puniatur. Incidens vero arborum ramum dicti arbo-
ris, vel metens vincum extra pro qualibet, & vice qualibet in
xl. solid. denar. puniatur usque per unum fascium, ab uno fascio
supra in C. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur,
à x. vincis infra incidens vinclum ad pœnam non teneatur, nisi
à domino, vel possessore fuerit prohibitus, vel etiam accusatus,
sed si accusatus, vel prohibitus in quinque solid. denar. punia-
tur pro qualibet, & vice qualibet.

A Bovinis vel battens, seu cadere faciens poma
matorum, seu pomorum bestiis bovinis, vel aliis in C.
solid. denar. pro qualibet delinquente, & vice qualibet puniatur.
Alia vero poma, videlicet ficus, nuces, & similia allamans, ba-
ctens, vel cadere faciens bestiis xl. solid. denar. pro qualibet de-
linquente, & vice qualibet puniatur. Colligens vero manualiter
poma, piri, malo, persici, nucis, meligranati, vel malicotonii,
castaneæ, & ipsa exportans in xl. solid. denar. vice qualibet puniatur.
Colligens vero dicta poma, vel aliquod ipsorum, & co-
medens ibidem ad pedem arboris in x. solid. denar. vice qualibet puniatur.
Colligens vero, & exportans alia poma videlicet
amandolas, fucus, añfolca, pruna, cerefas, visina, galognanos,
ançpolos, amognaria, sorba, & his similia in xx. solid. denar.
punia-

puniatur. Comedens ipsa arbora ibidem ad pedem arboris, vel ali-
quod ipsorum in v. solid. denar. vice qualibet puniatur. Colligens
olivas de arboribus alienis, vel de terra subter arborum antequam
sunt collecte per dominum, vel possessorem, aut olivas collectas ac-
cipiens puniatur, ut de vero maleficio furti per cuiuslibet Potestatis,
salvo siquidem accusator, vel persona damnificata maluerit procedi
per dictum officiale, quo casu possit, & debeat pena imponi
pro qualibet delinquente, & vice qualibet à x. libr. denar. usque in
xxv. libr. arbitrio, & discretione officialis juxta personarum, & ne-
gocii qualitate. Postquam vero olivarum poma fuerint per aliquem
dominum, vel possessorem, aut nuncios de aliqua possessione colle-
cta colligens residua poma olivarum de dictis locis jam collectis,
quaæ confluverunt sculticum appellari in tribus libr. denar. punia-
tur pro qualibet, & vice qualibet.

*De accipientibus alienum fenum, vel paleam, aut herbas
pratirvas, guardatas, vites, frascas,
et alia ligna incisa.*

DE domo extra terram, cassina, vel castelletta alterius acci-
piens, vel exportans fenum, vites, frascas, vel ligna, si
cum somerio, vel bestia in x. libr. denar. pro qualibet, & vice qua-
libet puniatur, sine somerio accipiens, & exportans in collo in C.
solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur, de paleare,
aut muchia, aut catasta alibi quam in dictis locis existente extra
terram accipiens, vel exportans fenum, palea, vites, vel ligna
cum somerio in C. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet pu-
niatur. Paleam, fenum, vites, & ligna non imposita in aliquem
muchia, vel catasta alibi quam dictis tribus locis, aut herbam pra-
ti, seu campi guardati fœnatam alienam accipiens, vel exportans
cum somerio in xl. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet pu-
niatur sine somerio in viginti solid. Metens, vel exportans herbam
de prato alieno, vel campo guardato, seu giffato, si cum some-
rio in xx. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur, si
sine somerio in x. solid. denar. Intelligatur herba giffata ubi in cam-
po fuerint hinc inde affixæ arundines ad dominum arundinarum ali-
quem

quem dominum, vel possessorem campi causa fœnum custodiendum
De qua gissatura affixione arundinum, & custodia fœni stetur, &
credatur dicto unius testis bonæ famæ. Accipiens vero aliquod di-
ctarum rerum de domo, vel de aliquo loco præter ortum infra ter-
ram positum puniatur in forma veri maleficii de furto per officia-
lem Potestatis.

*De pœna roncantis fractam alienam, vel frangens
ponte, aut fossatum re vel aliquod
prohicientis in possessione alterius.*

C A P. XX.

R Oncans fractam alterius, vel inde accipiens spinas, vel ali-
quod de clusimine non de voluntate domini, vel possessoris,
nec de mandato alicujus officialis in x. solid. denar. pro quolibet, &
vice qualibet puniatur. Frangens, vel rumpens, vel aliter impe-
diens pontem, vel anditum alienum, aut fossatum in aliqua parte
replens, vel explanans in x. solid. denar. pro quolibet, & vice
qualibet puniatur.

*De pœna accipientis lapides lateres, aut coppos, sive stupiam
carpitam, vel non de possessione alterius, vel
herbam ligatam, vel factam.*

C A P. XXI.

A Ccipiens de possessione alterius potestate in territorio, seu distri-
ctu Montis Sancti extra terram aliquem lapidem lateres, aut
cuppum non hædificatum pro quolibet latere lapide simili, & cup-
po in v. solid. denar. puniatur. Ciucam vero, vel alias minutas
prætulas accipiens pro quolibet, & vice qualibet puniatur in solid.
tribus denar. Si stupiā carpitam usque in sex monachios in v. solid.
denar. pro quilibet puniatur. Carpens stupiam de possessione al-
terius sine licentia domini in xx. solid. denar. pro quilibet puni-
atur. Accipiens herbam alterius à solo fecatam, vel separatam in x.
solid. denar. pro quilibet, & vice qualibet puniatur. Ligatam vero
herbam accipiens in xv. solid. denar. pro qualibet vice puniatur.

D

De damno cum bestiis dato, in orto vinea, vel canneto.

C A P. XXII.

Si alicujus bos, vacca, capra, vel equus, cavalla, asinus,
asina, mulus, vel mula, vel aliquod dictorum generum ani-
mal non lactans damnum dederit in orto, vel vinea, aut canneto
custos ipsorum pro quolibet, & vice qualibet in xv. solid. denar.
puniatur. Si vero porcus, vel scrofa, aut eorum generis animal
non lactans damnum dederit in dictis locis puniatur custos, vel do-
minus in solid. xx. denar. pro quilibet animali, & vice qualibet.
Si vero aliud quocumque animal quadrupes non lactans damnum
dederit in dictis locis, vel aliquorum eorum pro quilibet animali,
& qualibet vice in v. solid. denar. puniatur dominus, vel custos
ipsius animalis. Lactans vero animal ejuscumque dictorum gene-
rum idest lac sucidens, sive lactorum semper, & in quolibet ca-
su dannorum super, & infra specificatorum, si quod damnum in-
ferre contingat, tunc puniatur custos, sive dominus pro quilibet ani-
mali, & qualibet vice in medietate quantitatis pœna in quatuor il-
lud damnum, & in illis loco, & redactum puniretur, seu punien-
dum veniret si factum, sive illatum fuisset proiectus, & magnum,
sive non lactans ejus generis animal. Item pro qualibet gallina, gal-
lo ansere, & similibus damnum dantibus in dictis locis, vel ali-
quo eorum, & qualibet vice in denar. xii. puniatur.

*De damno cum bestiis dato, in blado, legumine, prato,
herba, guardata, lino, & similibus.*

C A P. XXIII.

Si bos, equus, equa, vacca, mulus, mula, asinus, asina,
porcus, sive scrofa, vel eorum generis animal damnum dede-
rit in blado, lino, legumine, & his similibus puniatur custos, vel
dominus in defectu custodis pro quilibet animali, & vice qualibet
in x. solid. denar. In prato autem, & herba guardata, si quem di-
ctorum animal damnum dederit in blado, lino usquequo fuerit fe-
natus in x. solid. denar. pro quilibet, & qualibet vice puniatur cu-
stos,

stos, vel dominus in defectu custodis postquam fuerit fœnata pro quolibet animali in tribus solid. denar. puniatur. Si vero pecus, capra, & eorum generis animal in dictis locis damnum dederit puniatur custos, vel dominus in defectu custodis pro quolibet animali, & qualibet vice in iv. solid. denar. Si vero postquam fuerit pratum fœnatum in xii. denar. puniatur pro bestia qualibet, & qualibet vice. Præterquam de Mensibus Septembribus, Octobris, & Novembribus, quia tunc ut supra in solid. iv. pro qualibet hujusmodi bestia, & vice qualibet puniatur, ac etiam de mense Augusti non obstante venditione pascuorum facta, vel fienda in aliquo casu prædictorum. Item si gallina anser, & similia animalia damnum dederit in dictis locis, & rebus in xii. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. Quæ locum habeant in majoribus bestiis. In lactantibus vero dicta poena solvatur, ut dictum est, & idem in similibus fiant. Supradictæ autem poenæ locum habeant in blado, lino, & legume non messo, sive non carpito. In aliis autem servetur speciale ordinamentum positum circa finem hujus quarti libri sub Rubrica de poenis damnorum datorum in blado, lino, legumine messo, sive carpito.

*De damno dato cum bestiis in campo stoppiario,
magiese, & sodo.*

C A P. XXIV.

Si bos, vacca, equus, equa, asinus, asina, mulus, mula, & similia damnum dederit pasculando, vel calpistando in campo stoppiario, vel magiese, vel sodo, & similibus locis puniatur custos, vel dominus in defectu custodis in duobus solid. denar. pro qualibet, & qualibet vice; pro qualibet vero pecude, & capra puniatur, & pro qualibet vice in xii. denar.

D

De damno dato cum bestiis in arboribus, & pomis.

C A P. XXV.

Si capra, vel ejus generis animal damnum dederit corrodendo in aliqua arbore olivarum, ficus, piri, mali, vel alterius arboris pomiferum, vel fructiferum in v. solid. pro qualibet, & vice qualibet puniatur custos, vel dominus in defectu custodis. Si in aliqua arboris silvestra, & non pomifera in duobus solid. pro qualibet, & qualibet vice puniatur custos, vel dominus in defectu custodis. Si autem bos, vacca, equus, equa, asinus, asina, mulus, mula, & simile animal damnum dederit corrodendo in dictis arboribus fructiferis, & pomiferis in duobus solid. denar. pro qualibet animali, & qualibet vice custos, vel dominus in defectu custodis puniatur. In arboribus autem non pomiferis, sive silvestribus remundatis in fractali, vel alibi existentibus corrodendo pro qualibet in duos solid. denar. puniatur. Si autem in silva incisa corrodendo novellos infra tres annos à die incisionis aliquod dictorum animalium damnum dederit in v. solid. denar. pro qualibet, & qualibet vice puniatur: pro damno dato corrodendo post dictum tempus in xii. denar. pro qualibet animali puniatur. Pro qualibet pecude, capra, porco, vel animali eorum generis pasculantis in oliveto ubi non essent collecta poma à Kalendis Septembribus usque per medium mensem Februarii in v. solid. denar. qualibet vice puniatur. Si porcus, scrofa, & eorum generis animal damnum dederit in pomis, ficuum, nucuum, pirorum, malorum, vel glandis, extra silvam in v. solid. denar. pro qualibet, & vice qualibet puniatur. Dum tamen pro minutis, & lactantibus bestiis poena dimidietur, ut supra.

Quod laboratores non ferant de fructibus, sine voluntate domini, & apodissa officialis.

C A P. XXVI.

Nullus laborator de possessionibus alienis, quas colunt ferat uvas, vel alia poma, aut ligna, seu cannas sine expressa domini licentia, & apodissa scripta, vel bullata, aut subscripta per officia.

Y

L I B E R

²⁵⁴
officialem; contrasaciens pro quolibet, & vice qualibet in v. solid.
denar. puniatur, & officialis non possit, nec debeat apodissam de
hoc dare sine voluntate domini possessionis, pœna x. libr. denar. de
suo salario.

*De impunitate damnum dantium cum bestiis in possessione
de quibus collecta non solvitur.*

C A P. XXVII.

Exceptis possessionibus Cameræ Romanæ Ecclesiarum, & aliarum
Ecclesiarum si quis cum aliqua bestia damnum dederit in pos-
sessione aliqua, de qua eo anno collecta soluta non esset in Comu-
ni ad pœnam aliquam non teneatur, & hoc Statutum locum non
habeat in silva Massactii, nec in silvis, & rebus Comunis.

De damno dato in possessione Comunis.

C A P. XXVIII.

Personaliter, vel cum bestia inferens damnum in aliqua silva
Comunis, vel alia possessione Comunis exceptis Pastreriis, &
pastuis consuetis puniatur eadem pœna, quæ puniretur de damno
dato in possessione alterius.

De pœna dannorum factorum de nocte.

C A P. XXIX.

De nocte post occasum solis, & ante ortum ejus de mane dam-
num dans personaliter, vel cum bestia puniatur de damno,
vel pro damno de die dato.

Di

QUARTUS.

²⁵⁵

De penis, & casibus non specificatis in ordinamentis.

C A P. XXX.

In casibus, & damnis non specificatis procedat officialis, & præ-
summat de similibus ad similia juxta ordinamentum, & cauolum
cui convenientibus adaptatur.

De pœna officialis non observantis Statuta.

C A P. XXXI.

Officialis non observans Statuta ad ejus officia pertinentia, &
quolibet casu, de quo alia pœna sibi non foret imposta in
libr. x. denar. de suo salario puniatur.

De pœna forentium damnum dantium.

C A P. XXXII.

Forense dans damnum personaliter, vel cum bestiis in territo-
rio Montis Sancti puniatur ea pœna, qua terrigena puniretur.
Salvo si major pœna, vel minor exigeretur contra nostrum Cancel-
larium in Terrâ forensi, quod tunc ea pœna exigat contra forensem
de illa Terra.

De pecudibus, capris, jumentis, & porcis retinendis, vel non.

C A P. XXXIII.

Pecudes, vel alia animalia forensium in territorio Montis Sancti
possint nullatenus retineri pœna contrasacentis xx. solid. denar.
pro quolibet, & vice qualibet puniatur, salvo quod transeundo in
aliud territorium possint per duos dies morari in nostro territorio,
dum tamen de damnis, quæ ab eis date contigerit in possessionibus
nostrorum terrigenarum teneantur ad pœnas nostrorum Statutorum,
quo casu officialis possit, & debeat ipias, vel pascere earum capore,

& du-